DISSERTATIO
INAUGURALIS - MEDICA
DE
SCIRRHO VENTRICULI,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORATUS MEDICI LAUREA,
RITE OBTINENDA IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

Gustavus Lang,
Hungarus Baziniensis.

De Thesibus adnexis disputabitur in Universitatis aedibus
die   Novembris 1830.

Vindobonae.
Ex Typographia Ferdinandi Ullrich.
MDCCCXXX.

Optimo Parenti

gratissimus filius.

Praefatio.

Latus medicinae campus cornu copiae offert argumentorum pro dissertationibus; nihilominus in selectu diu haerebam dubius, donec omnem attentionem meam in scirrhum ventriculi converterem. Non venit mihi in mentem novi aliquid proferre, est enim hic medici experti et omnibus numeris absoluti labor, nec quid aliud expectatur a tirone, quam ut quae in veterum atque recentiorum scriptis dissipata inveniuntur sedulo colligat et in ordinem disponat.

Quantum viribus polleo huic voto satisfacere adnisus sum, et quid auctores,

propriaeque observationes me docuerunt conscripsi. Duplicem finem hic praepositum habui: sinceram morbi imaginem depingendi, et quasdam vomitus chronici species adducendi, in quantum earum cognitio ad firmam callositatis ventriculi diagnosim facere potest. Vires, quae mihi sunt imbecilles et experientiae inopia multa relinquunt manca, quae ut corrigas atque expleas quaeso

Auctor.

§. 1.

Scirrhus, callositas, steatoma ventriculi membranae huius organi vasculosae morbum sistit proprium, ex peculiari processu morboso hic vigente natum, reliquas ventriculi membranas, praeprimis villosam in eandem metamorphosim pedetentim abripientem, pro adminiculorum ratione diversa celeritate increscentem, saepius non cognitum, raro sanatum, plurimum laethalem. Sexum infestat utrumque adultum, rarissime infantem, et medicorum tractamini offertur vix in germine, utplurimum radicibus firmius profundiusque in organo fixis.

§. 2.

Epigastrii tensio atque protrusio, cum sensu pressionis et anxietatis in ventriculo, ciborum quidquam digestu difficiliorum pastum insequente, borborigmi frequentes, et quaedam alvus irregularitas, incerta simulque fallacia sunt signa diagnostica, sub quibus ventriculi induratio germinat. Brevi ventriculo cibis pleno vomitus comparet, serius, ocius, media, integra, nonnunquam tribus aut quatuor post pastum horis recurrens, quo ingesta, praeceden-

tibus interdum nausea vehementiori et ructibus copiosis, acidis, vel putridum redolentibus, ex stomacho evacuantur. Aegris non minus ac medicis hic status ventriculi debilitatem, torporemque fingit, unde non mirum, si toties in stomachicis, malum exasperantibus medelam quaerunt. Perstante tensione et pressione epigastrica regio sensilis evadit, serius dolorifica, rudiorem attactum repudians, borborigmi augentur, hinc inde sentiuntur dolores colici, alii sacrales et extremitatum inferiorum; delassatio et sub motu intentiori cardiopalmus; situs in latere plerumque in deliciis habetur, cum dorso incumbentes molestum ponderis et tensionis in ventriculo sensum percipiant; ructus frequentiores initio insipidi, tardius amari, acidi, nauseosi, acres; pirosis molestissima ventriculo jeiuno et matutino tempore, singultus, pituitae in faucibus copiosa secretio, salivatio larga oris siccitatem producens, alvus clausa, subinde diarrhoica vel lienteria.

§. 3.

Vomitus interea diversissimo tempore ingruit, modo per longius temporis intervallum aegro parcens, modo quotidie, vel etiam saepius de die pleno aut vacuo ventriculo molestans. Vomituritionibus et ventriculi doloribus minoris aut maioris gradus praegressis, stoma-

chi violenta evacuatio facile, vel summo cum nixu absolvitur, parum caeterum levans, nec tensionem, spasmum et anxietatem ex integro delens; virium dejectio post vomitum plerumque maior. Materia ejecta sub morbi initio ingestis constat, dein mucosa est, aut aquosa, saporis amari, aciduli, acris, nauseosi. Ciborum adpetentia vel prostrata, vel bene vigens; lingua muco tenaci albido aut flavescente obducta, sapor fatuus, amarescens. Dolorifica epigastrii regio temporis successu sub attactu tumorem offert circumscriptum, dimensionis et ambitus diversi, duritiei interdum insignis. Situs quem occupat diversus, nonnullos medicos eo seduxit, ut scirrhi ventriculi loco omenti aut alterius visceris indurationem tractandam habere opinati sint.

Dum scirrhus in cancrum apertum abit, tensio obtusa cum ardore sentitur, quibus dolores lancinantes, lacerantes, rodentes immanes et summa anxietas adjunguntur, materia autem vomitu ejecta brunescens est, coloris ciocoladae vel atra, et saniem refert acerrimam, foetidissimam saepius cruentam; non raro haematemosis perterrit summis cruciatibus adflictum.

§. 4.

Nutrimentorum denegata ingestione, digestione autem et chylificatione adeo laesa atque

perversa, effectus maligni in omnem organismi vitam non possunt non redundare. Hinc cachecticus aegri habitus, cutis color in terreum vergens, cutis flaccida sicca, vel sudoribus viscidis obruta, corpus integrum summopere emaciatum, oculi in orbitam retracti, sulcati, flavescentes velut obfuscati; calor imminutus et frigus extremitatum, pulsus debiles, vacui, frequentia sanis aequales, vel eos superantes. Debilitate increscente pedes, praesertim malleoli tumore oedematoso superbire incipiunt.

Reliqua autem organa, vitae reproductivae ministra, in conspicuum et manifestum consensum trahuntur, quare hepatis et glandularum meseraicarum passiones raro desiderantur, quod sub morbi initio, quo ipse minus patet observare licet. Tumet igitur jecur, turbatur bilis secretio, et comparent plura icteri symptomata, quae morbum ad extremum vitae terminum saepe comitantur.

Musculi flaccidi extenuati, cum stimuli receptivitate majori et robore imminuto, cito exhauriendo, motus inordinati, carphologia, tendinum subsultus, spasmi.

Similes vita sensifera experitur effectus; etenim sensus externi hebescunt, visus obfuscatur, interdum amaurosis, aurium susurrus, indifferentia in objecta quaecunque, som-

nolentia continua, mentis operationum confusio, deliria, conatus aufugiendi. Ipsa vita vel summis sub cruciatibus finitur, idque praecipue, dum scirrhus in cancrum abit apertum, vel placida sequitur ex virium vitalium defectu mors.

§. 5.

In cadaveribus ventriculi tunicam villosam emollitam, incrassatam aut duram subinde cartilaginosam, scirrhosam, aut ulceribus carcinomatosis obsitam invenerunt. Ventriculus vel ultra normam expansus, et materia brunescente, atra, sanguinolenta foetidissima repletus, vel adeo contractus, ut ovi anserini magnitudinem non superet, repertus fuit. Talem cel. v. Swieten vidit, cuius pilorus cum proxima duodeni parte, ut et pancreas scirrhosa duritie insignita erant. Ruyschius ventriculi fundum tumore scirrhoso pugni fere magnitudinis, materia tenaci et atra referto obsessum invenit. Alter adducitur casus a cel. Petit, ubi in cadavere muliebre inventa fuit pars ventriculi colo intestino firmiter adhaerens, et cum illo in massam magnam scirrhosam concreta; dissecto ventriculo adparuit ulcus nigrum foetidissimum, duos pollices in diametro habens, quod integumentis concretis cum hoc scirrho, viam versus exteriora fecerat ichori et puri. Ego autem in femina tri-

ginta trium annorum ventriculum inconsuete extensum et arcu suo maiore multum infra umbilicum detrusum conspexi, cuius fundus ultra tres libras atro brunescentis, turbidi, foetentis fluidi continebat; parietes ejus a piloro ad quinque digitos in omni ambitu cartilaginosi adpendicem extus fibrosam, intus crystallino cellulosam sex usque novem lineas crassam offerebant, ex qua excrescentiae fungosae, coeruleo rubecentes eflorescebant; in fundo huius ulceris plures observabantur foveae grisea pulte repletae. Pars ventriculi huic scirrho proxima ad duas lineas crassa, cardia cum duodeno non degenerata, pancreas magnum, solidum, piloro adcretum.

Tales autem cadaverum lustrationes et sedulae inspectiones docent, quod frequentissime pilorus cum adnexo duodeno, rarius fundus, rarissime cardia scirrho inquinata sint.

§. 6.

Molestissimum et raro deficiens scirrhi ventriculum defoedantis symptoma vomitus est. Irregularitas typi, quo vomitus praesertim initio huius morbi recurrit, aliorum vero symptomatum, quibus firma scirrhi diagnosis eo tempore superstrui posset, absentia, multos medicos jam seduxerunt, ut neglecta sedula anamnesticorum indagatione, factaque falsa diagnosi, et non mi-

nus falsa prognosi, therapiae infaustissimae institerint. Sunt morbi complures chronici similem imaginem referentes quibus vomitus communis est comes. Juvabit nonnullos adducere, ut distinctio rectius intelligatur, confusioque evitetur.

§. 7.

Differt ventriculi scirrhus:

1. *Ab induratione alicuius intestini tenuis partis.* Nec quidem hic premens, obtususque in cordis scrobiculo dolor, borborrigmi, ructus, vomitus, alvi obstipatio et alia desiderantur. Ast vomitus materiae mucosae duntaxat albidae, parcae, non acescentis, multo tardius contingit, typoque periodico recurrit; pressio in cordis scrobiculo intermittens utplurimum, vel duodecim et ultra post pastum horis noviter exsurgit, vel saltim exasperatur. Huius typi ratio in lenta et periodica quadamtenus nutrimentorum ad male adfectam intestini partem promotione fors radicatur. Induratio pro diversitate situs modo palpabilior, modo vix tangenda, borborigmi hypogastrium magis petentes, ructus rariores, alci obstipatio pertinacior est, faeces fluidae parcissimae, aut merus et parum tinctus mucus cum continuo tenesmo educitur. Hic status nonnullis sub nomine dyssenteriae callosae venit.

§. 8.

2. *A gastritide chronica seu occulta.* Difficilis est lentae inflammationis ventriculi ab eius scirrho distinctio, et vix assignandi limites, dum ex illa hic evolvitur, nec adeo rarum, ut conjunctim diutius constent. Multa sunt utrisque symptomata communia, alia observatorem facile efugiunt; insidiae, quas struit, magnae, damnum irreparabile, quare multum interest, quae circa ejus diagnosim scitu digna sunt, breviter adducere. Dolor ventriculi est fixus constans, plus minus percipiendus, sensilitas exquisita et magna stimuli impatientia, unde fit, quod pressionem epigastrii quoque externam aegrius ferat; vomiturītiones et vomitus frequens, inquietudo et anxietas non exigua, anorexia, et sitis excedens, continuus ponderis atque pressionis sensus in scrobiculo cordis, lingua sicca, rubens, subinde et leviter inflammata; ardor internus cum frigore extremitatum; pulsus citati, duriusculi.

§. 9.

3. Differt vomitus callosus a *vomitu heluonum* seu *crapuloso.* Sunt adulti utriusque sexus, nunquam infantes, vomitu singulo mane jejuno adhuc ventriculo tentati, quo sub sensu adstringente in cordis scrobiculo parcus mucus, tenax et albidus eructatur potius, quam vomitu

ejicitur. Capitis gravedo, raucedo quaedam, copiosa muci tenacis in faucibus secretio, epigastrii inflatio atque oppletio, vertigo, labii inferioris tremor, sapor nauseosus et pirosis hunc praecedere aut comitare solent, cessantibus post mediam horam aut jentaculo assumto cunctis molestiis. Haec vomitus species diaetae errorem unicum fontem agnoscit, quem tamen et eo laborantes et medici in debilitate ventriculi perperam quaerunt, et remediis stimulantibus aut amaris adstringentibus infelicissime tractant. Primas radices ex hac ventriculi adfectione huius scirrhus decerpit.

§. 10.

4. *Viscerum abdominalium, hepatis, lienis, renum, vesicae urinariae, uteri* etc. *morbi* aut cum texturae per suppurationem consumtione, aut in scirrhosam degeneratione incedentes, vomitum ut symptoma saepe sibi adjungunt. Morbi origo, decursus, duratio, causae et symptomata praesentem imaginem referentia, quorum diversitas partim a situ, quem organon adfectum tenet, partim a functione, cui praeest laesa, partim a commercio, quod aliis cum organis et systematibus fovet, dependet, diagnosim determinabunt.

5. *Thoracis et abdominis cavi deformitates, aut organorum in iis reconditorum vitia*

organica, vomitum chronicum saepe procreant. Imprimis vero cartilaginis xyphoideae in abdominis cavum intrusio vomitus frequentis, multarumque digestionis turbarum fontem praebet. Causa in mechanica ventriculi cibis expansi irritatione latere videtur, unde etiam fit, quod ventriculo vacuo vomitu rarissime adfligantur. Vitiosa thoracis conformatio, cum morbo rhachitico et scrophuloso persaepe incedens, medici obtutum non facile fugit.

§. 11.

6. Senes *ventriculi imbecillitate*, et quadam eius *attonia* subinde laborant, qua ventriculus fibris et membranis relaxatis, in molem immensam extenditur, et vomitus chronicus insanabilis nascitur. Digestio labefactata, pallor, et animus prostratus huic morbo diu antecedunt; ingesta molestias producunt, seriusque vomitus jejuno etiam ventriculo comparet. Copiosa materia fluida vomitu rejecta, non mucosa, assumtorum quantitatem multum superat, est inodorae, saporis quidquam aciduli. Huic flocci innatant nigricantes, viridescentes aut brunescentes, dein vasis fundum petentes, sedimentumque formantes. Vomitus, quem ructus copiosi foetidissimi interdum praecedunt, facile absolvitur. Tensionis et oppletionis sensus in ventriculo est continuus, venter tumidus, non durus, pressio infra um-

bilicum instituta ructus aut ipsum plane vomitum causat.

§. 12.

7. Differt vomitus in scirrho ventriculo obtinens ab omni vomitu *symptomatico morborum nervosorum.* Spasticum hunc vomitum nuncupare nobis concessum sit, quem hypochondria et hysteria saepe comitem sibi seligit. Diversitatis formae, sub qua nevroses adparere solent, decursus chronici et nonnunquam periodici, durationis in annos extensae, dispositionis aegri, quam ex habitu corporis tenero, gracili, cute alba, molli venis caerulescentibus transparentibus, genis rubescentibus, vultu hilari, capillicio, ut plurimum flavescente etc. cognoscimus, tandem et causarum occasionalium contemplatio vomitus indolem dilucidabit. Cardialgia, soda appetitus mox prostratus, mox iterum evectus, alvus irregularis, extremitatum inferiorum spasmi atque frigus, vertigo, phantasmata, sensuum externorum illusiones, animus inconstans, urina pallida, aquosa cum sedimento crystallino, pulsus parvus, contractus, symptomata sunt, vomitum erethicum insignientia; huic praeterea accedit nauseae atque vomituritionis absentia, et materiae ejectae limpidissima, insipida aquosaque indoles.

§. 13.

Texturae organicae metamorphosim ex eo vi-

rium, seu polorum, contrahentis et expandentis, concursu explicare conati sunt, ut praevalente polo positivo, id est, expandente cellulosa, ex opposito operante granosa, ex utroque in aequilibrio relativo versante fibrosa nascatur textura, hacque ratione vitae formativo nisui directionem in spatio praefigunt, praescribunt. Ex hoc aut illo polo morbose praevalente texturae quoque organicae morbos repetunt, ulcerum callosorum, fungosorum, intimae polyporum fibrosae fabricae, huiusque transitus in cartilaginosam et viceversa exemplo.

Haec praeterea pseudoorgana cum plantis parasitis comparânt, quorum genesim ex primitivo cuius libet atomi organici in ulteriorem sui perfectionem et incrementum nisu exaltato, quo reliquas partes organicas vincit, argute derivant. Quamvis ex tali morborum deductione, nonnullis eorum natura patere aliquomodo videatur, aliorum tamen naturam exinde minime perspectam habemus. Dum nimirum in scirrho quocumque glandulosam organorum fabricam in granosam, fungosam aut cartilaginosam permutatam videmus, formam huius morbosae metamorphoseos utique cognoscimus, quin tamen natura huius processus nobis pateret. Id ipsum omnes fatentur pathologi dicentes: difficilius esse aliorum morborum indolem explicare, et semper adhuc

insolutas manere questiones, quid scarlatina, morbilli, aliaque exanthemata, quid pestis, cancer sit? in quo scrophulae, syphilis consistânt?

§. 14.

Lentam ventriculi inflammationem scirrho ejus praecedere saepe observamus, eam alii constantem scirrhi matrem praedicantes. Exaltatus vitae processus omnis inflammatio est, in ulteriorem organici elaborationem et formationem nitens. Non idem in scirrho, qui quidem saepe ex inflammatione natus, reapse metamorphoseos regredientis imaginem refert, et organa destruere molitur. Organa scirrhosa visui patentia, tumore duro, superficie inaequali insignita deprehendimus, cuius textura non coagulatam lympham sed sui generis, venis copiosis, in varires multas expansis pertextam, exhibet. Quodsi dixeris, scirrhum ex inflammatione in illo organo evolvi, cuius vita antea iam a norma deflexa erat, in morboso itaque, morbus organon eo disponens, ut per inflammationem in scirrhum et cancrum abeat nominandus erit.

§. 15.

Veteres iam scirrhum in glandulis quaesiverunt, et causam accusarunt omne id, quod succum in his contentum coagulare, inspissare, siccare valeat. In genere omnem glandulam tumentem, duram atque indolentem scirrhum no-

minarunt, quae tamen definitio nimis lata esse videtur, neque morbi naturam enunciat. Nobis scirrhus omnino glandulae tumor est durus et indolens, sed cum manifesto et praedilecto nisu in cancrum apertum ebeundi. Etenim sunt glandularum tumores, qui sufficiente causa occasionale, vel ex ipso, quo generantur processu morboso, in inflammationem et suppurationem abripiuntur, quin naturam cancri assumant. Mallem scirrhum ad morbos systematis lymphatici proprios, cachexias, referre, cui fors peculiaris, ast naturae hucdum incognitae diathesis, nonnullis canceratica dicta subest. Aliarum glandularum praesertim mesenterii compassiones, et quod remedia systema lymphaticum eminentius adficientia in tractando scirrho plurimum praestant assertum comprobare videtur. Nihilominus tamen scirrhi natura, cuius indagatio multorum jam exercuit ingenium, in tenebris adhuc latet, nobisque interea in cognoscenda forma acquiescendum est.

§. 16.

Scirrhus plerumque morbus effectivus est, seu secundarius, gastritidis chronicae, omnes itaque causae, hanc producentes, progenerando scirrho sufficiunt. Eo autem referuntur: continuatus spirituosorum, aromaticorumque potulentorum abusus, victus aromatibus nimis con-

ditus, ciborum iusto calidiorum, ingurgitatio, incongrua languentis digestionis chronicae stimulans tractandi methodus, frequens ventriculi oppletio; thoraces angusti et prementes, ictus ad scrobiculum cordis adplicitus, exanthemata chronica repulsa, item rheumatismus, arthritis organa minus nobilia praecocius deserentia, haemorrhoides, menstrua anomala. Alias ex solo maiori textus cellulosi in contractionem nisu, remediis adstringentibus amaris inducto, produci videtur; interdum ex non satis cognito ipsius ventriculi organico vitio evolvitur.

§. 17.

Scirrhus ventriculi morbus est gravissimus, cuius sanatio frustra tentatur, quod morbus naturae incognitae lente et clandestine incedens aegri attentionem parum figit, hinc medico serius nonnisi tractandus venit, saepissime opponuntur remedia incongrua, morbus primarius, cui originem debet, insanabilis est.

Dolores, quo magis sunt intollerabiles, ad minima ingesta, blandissima quoque exacerbandi, quo aeger frequentius vomit materiam brunescentem, acrem, aut sanguinem grumosum, vel fluidum, quo magis itaque scirrhus evolutus est, eo minus de sanatione sperandum.

Nonnunquam haematemesis larga vitae flammam exstinguit. Sub morbi gradu minore, re-

mediis regimine et diaeta congruis, aetate juvenili, et viribus nondum ad imum labefactatis, vita in multos annos protrahi potest, his contraria mortem accellerant.

§. 18.

Quodsi causarum nocentium cognitio morbi cuiuscunque diagnosim multum adjuvat, evictumque est, quod morbi, sublatis illis, propria vi naturae medicatrice saepe sanantur, luce etiam clarius est, in curanda ventriculi induratione potentiae nocentis abolitionem magnam, ni principalem curae partem efficere. Quaecunque igitur ventriculi scirrhum generant, sustinent, exasperant, medicus quousque licet, amovere opitulabitur. Pro illorum autem diversitate, diverso modo incedendum esse, facile patet; ut itaque hic spintuosorum, aromatum, aliorumque usus, ciborum immoderata ingurgitatio, thoraces angusti etc. interdicantur; ibi malum exanthematicum, rheumatismus, arthritis ad locum, quem deseruit, revocandum et reducendum sit; haemorrhoides, menstrua restituantur et sic porro.

§. 19.

Altera indicatio sequitur, quae iubet morbum generatum tollere. Ventriculi sensibilitatem temperare, et indurationem solvere, haec finem efficiunt, quem in curando scirrho medi-

cus praefixum habet. Tantum vero abest, ut cura ab ipsis solventibus exordium capiat, ut sedantia atque pacantia potius hoc tempore morbo opponantur. Etenim summa esse solet huius organi sensilitas, nec digestu facillima absque dolore, imo vomitu ferens. Solis lenibus, ad hos morbos requisitis medelis pacatur, quae in mucilaginosis blandissimis; decocto Salep, Altheae, Verbasci, Malvae, cremoris hordei, orizae, avenae etc. invenimus Summum exinde aegri quamplurimi percipiunt levamen, quibus parca dosi saepius adhibitis dolores sopiuntur, vomitus sedatur. His, urgentibus symptomatibus, junguntur: opium, aut, qui ob alvi segnitiem praestat, hyosciamus.

Solventium usus magnae attentionis est dignus, quorum doses minores, quousque meraca adhiberi non possunt optime mucilaginosis remediis copulantur. Radicum graminis, taraxaci, saponariae, lixivae et sodae utriusque carbonicae, magnesiae tum carbonicae, tum ustae, saponis medicinalis insignes laudantur effectus. De sapone cel. van S w i e t e n canit: ubi scirrhus adhuc recens est, magna copia saponis veneti profuit, sed diuturno usu, ita ut drachmas duas quotidie per plures menses sumerent aegri; summum enim dissolvens est et satis mite. Digitalis purpurea, belladona nonnullis in usu est,

magis tamen cicuta, quae sicuti in alius organi scirrhosa degeneratione, ita in ea quoque, quae ventriculum tenet, adhibetur, de qua alii insignes viderunt effectus, alii reliquis remediis efficaciorem non invenerunt. Stibii atque hydrargyri praeparata ad efficaciora contra scirrhum remedia semper relata sunt, eo tamen prospiciendum, ne fortiora stimulo suo ventriculum aegrius adficiant, aut cachexia altius evoluta in usum trahantur, cui aliam addendo malum non possunt non exasperare. Fecerunt quidem nostris temporibus cum nitrate argenti soluto pericula, quin tamen scirrho mederentur.

§. 20.

Quam aquae solventes vim exerunt medicatricem comprobatae habetur virtutis in hoc etiam malo, cum praeter quod systema lymphaticum ad maiorem actionem provocant, sanguinis circuitum in omni vasorum systemate liberiorem reddunt, secretiones expediunt et corrigunt, peculiari etiam ratione in membranas agant. Internum usum cum externo, saepius praeferendo, interdum unice faciendo, conjungunt. Laudantur aquae Spadanae hisque similes majorem salium aut aëris carbonici rationem non habentes. Malum minoris gradus et ventriculi sensibilitatem ita constitutam esse oportet, ut quidam stimulus absque incommodo per-

ferri possit. Balnea simplicia, qualia aqua fluviatilis, aut fontana communis calefacta praebet, vel haec sapone aut hepate sulfuris alcalino impraegnata medicorum votis saepe respondit.

Quidam nuper proposuit scirrhum in anteriore ventriculi pariete haerentem, nec magis extensum, cultro evellere, et vulnus regulis chirurgicis sanare. Quid boni aut mali de tali operatione temeraria exspectandum sit, lectoris judicio relinquo.

Scirrhi qui suscipit curam clysteribus carere non potest, pertinax alvi segnities, quam remediis purgantibus et ventriculo commissis in aegri peniciem moveres, reiteratam urget eorum adplicationem; alias medicamina et nutrimenta, quibus in ventriculum aditus denegatur, ano iniiciuntur.

Epigastrii sensilitatem cataplasmata emollientia, vel emplastra de cicuta et theriaca mitigant, tolluntque. Vomitum effrenem opium, hyosciamus optime componunt; quae autem malo altius evoluto interdum accedit haematemesis, pro characteris ratione, mucilaginosis nonnunquam cedit, alias sanguinis detractionem exigit localem, alias adstringentium, radicis tormentillae, gummi Kino, aluminis cautissimam adplicationem postulat.

§. 21.

Diaeta atque regimen curae partem constituunt magnae attentionis dignam; utrumque enim incongruum sanationi maximum obicem ponit. Aegri, summam morbi dignitatem minime somniantes, cibis, et potui irritantibus lubenter indulgent, malumque exasperant. Convenit vero victus tenuissimus, utplurimum mucilaginosus, digestu facilis, blandeque nutriens, qualem carnium iura cum cremore hordei, oriza cocta, olera molissima, vitellum ovi suppeditant. Quantitatis praeterea et temporis capiendi cibi ratio est habenda. Ventriculi sensibilitas parcissimas duntaxat nutrimentorum portiones admittit, ast saepius repetendas. Magnum inde solamen in doloribus illis chronicis circa ventriculum solet percipi.

Morbi gradus et virium status motus atque quietis rationem determinant; in genere tamen regimen strictum servare suadendum est. Non praeterimus, aërem, qui aegrum ambit purum, moderate calidum, habitaculum in quod luci sufficienti aditus patet, siccum summopere conducere.

Animi tranquillitas, hominum longaevitati adeo amica, non exiguum fert solatium; adversissima vero sunt animi adfectus et pathemate. Enim vero, si his tanta est in omnem vitam,

tum irritabilem, tum sensiferâm, tum reproductivam, vis, ut iis agentibus diversissimi ac gravissimi morbi suam inde originem ducant; quanta erit in corpus morbo tam gravi tentatum! Morbum imminutum saepius vidi ex ira aut moerore summa cum vehementia recrudescere.

Reconvalescentia tandem, si unquam impetratur, non aliis erit moderanda regulis, quam quae ex hactenns expositis desumuntur.

A u c t o r e s.

Gerardii de van Swieten commentaria in omnes aphorismos Herrmanni Boerhaave Venetiis 1762.

Pet. Frank epitome de curandis hominum morbis. Mannhemii 1792.

J. E. Wichmann's Ideen zur Diagonstik.

Versuch einer medizinisch-chirurgischen Diagnostik von Dr. Carl Gustav Schmalz. Dresden 1816.

Handbuch der speciellen medizinischen Pathologie und Therapie von Joh. Nep. Edlen v. Raimann. Wien 1826.

Ph. C. Hartmann Theoria morbi. Viennae 1827.

Ignatii Spalowsky dissertatio de Vomitu in Stollii dissertationibus medicis. Vol. tertium. Viennae 1790.

Réné Prus Dr. Neue Untersuchungen über die Natur und Behandlung des Magenkrebses. Aus dem Französischen mit Zusätzen von Dr. Fabr. Balling gr. 8. Würzburg 1829.

Medizinisch-chirurgische Zeitung, herausgegeben von Dr. Johann Jacob Hartenkeil und fortgesetzt von Dr. Johann Nepom. Ehrhart. Salzburg und Innsbruck, Jahrgänge (1802) 3. B. S. 276; (1805) 1. B. S. 214; (1815) 3. B. S. 295.

Theses defendendae.

I.

Est scirrhus ventriculi absque vomitu.

II.

In scirrhi ventriculi cura plus a diaeta et regimine congruis, quam a pharmacis exspectandum.

III.

In feminarum morbis tractandis plus prudentiae, quam scientiae requiritur.

IV.

Aqua frigida princeps inter remedia diaphoretica.

V.

Eius tamen in hunc finem usus arctis limitibus circumscribendus.

VI.

Medicamentorum vim nil magis, quam erga medicum fiducia intendit.

VII.

In glossitidi scarificatio remedium princeps.

VIII.

Febri inflammatoria per venaesectionem fracta in organorum glandulosorum, membrana-

rum serosarum inflammationibus calomele non datur remedium prostantius.

IX.

Syrupis et aquis destillatis carere non possumus.

X.

Arthritis, si unquam sanatur, sanatur tonicis.

XI.

Pelveos diametri non sistunt indicationum fontem pro forficum adplicatione.

XII.

Non datur diureticum absolutum.
